

- Manlius Jacob., *Chronicon constantiense* bei Pistor-Struve *Scriptt.* III.  
Moor, C. v., *Codex diplom. Rhaetiae*, IV. Bd. Cur, 1863.  
Neugart, *Codex Alamanniae diplom.* II. Bd. St. Blasien, 1795.  
Ochs, *Gesch. der Stadt u. Landschaft Basel*. 2 Bde. Basel, 1792.  
Pelzel, *Gesch. König Wenzels*. 2 Bde. Prag, 1788—90.  
Rauch Adr., *Rerum austriac. Scriptt.* 3 Bde. Wien, 1783 ff.  
Salzburg, *Mittheilungen der Gesellschaft f. Salzburger Landeskunde*, 1860 ff.  
Schreiber, *Urkundenbuch der Stadt Freiburg* in Br. II. Bd. Freiburg, 1829.  
Sinnacher, *Beiträge zur Gesch. von Säben-Brixen*. V. Bd. 1827.  
Stälin, *Württembergische Gesch.* III. Bd. Stuttgart, 1865.  
Suchenwirts, „*Werke*“ (14. Jahrh.) ed. Al. Prümmer; Wien, 1827.  
Tinkhauser, *Beschreibung der Diocese Brixen*; I. Bd. 1855.  
Vischer, *Gesch. des schwäb. Städtebundes* in d. „*Forschungen*“ II. u. III. Bd.  
Walsingham, *Historia anglicana* (1272—1422) ed. Riley. II. Bd. Lond. 1863.  
Weizsäcker, *deutsche Reichstagsacten* (RTA) I. Bd. München 1867.  
*Zeitschrift f. die Gesch. d. Oberrheins*, bes. Bd. 44 (1890) f.  
*Zeitschrift f. Kirchengeschichte* ed. Brieger, 1877 ff.

Handschriftliches Material findet sich im Statthaltereii-Archiv zu Innsbruck und im Staats-Archiv zu Luzern; das Meiste davon ist gedruckt.

## Series Chronologico-critica Hagiographorum sexti, septimi et octavi saeculorum.

Scrispsit R. P. D. Beda Plaine, O. S. B.

(Confer: 1891 t. IV. pg. 582—593.)

### II.

#### Articulus secundus: Recensentur septimi seculi Hagiographi.

Septimum aerae Christianae seculum Ordinis Sancti Benedicti seculum aureum nuncupari decet, teste Mabilone<sup>1)</sup> ratione majoris numeri Sanctorum qui tum sub Regula monastica floruerunt, ratione etiam eximiae pietatis ac munificentiae, quibus adornati reges ac dynastae hujus aetatis foundationi ac dotationi monasteriorum certatim providere sategerunt.

Minime etiam defuerunt huic aevo, in litteris tamen sacris vel profanis parum versato, scriptores rerum hagiographicarum. Plerique etenim, ni fallor, hujus epochae litteratorum in vitis Sanctorum conscribendis praecipuam suam operam impenderunt, multique ex eis nihil nobis transmiserunt praeter scripta hagiographica.

In his vero recensendis non agetur singillatim, ut praecedenter, de coaevis, et de non coaevis, de anonymis et de aliis, sed de omnibus collectim loquar, sequendo ordinem regionum geographicum, ab Hispania vero incipiam.

<sup>1)</sup> Praefatio secundi seculi Benedictini n. 1.

Aliqua tamen praemittere visum est opportunum de collectionibus hagiographicis, quae inceptae sunt in decursu hujus aetatis. E quarum numero jam duae exciderunt injuria temporum, scilicet primo illa, quam quidam episcopus Parisiensis fieri mandaverat in honorem martyrum suae civitatis episcopalis.<sup>1)</sup> Altera vero ad Sanctos Arvernos spectabat, et pro auctore habebat S. Praejectum episcopum Claromontanum, qui obiit martyr.<sup>2)</sup>

Inter quatuor alias, quae usque ad nos pervenerunt, duae ad Galliam pertinent et duae ad Hispanias: scilicet ad Galliam spectant Martyrologia Altissiodorensis et Bisuntinum, ad Hispaniam vero Liber de Ortu et Vita Justorum, et Libellus de Vitis Patrum Emeritensium. Jam a pluribus seculis autem notum erat et maxime commendatum Martyrologium Altissiodorensis sed qua aetate et a quo redactum fuerit, in dubio versabatur. Recentissime vero post multas inquisitiones et indagaciones illud ab anonymo clerico Altissiodorensi et ineunte septimo seculo si non antea compilatum fuisse, clare et evidentiter comprobatum est.<sup>3)</sup>

Non eadem ac Altissiodorensis auctoritate gaudet Martyrologium Bisuntinum, parvum et paucis Sanctis ditatum: verumtamen non est sine valore apud eruditos utpote quod jussu S. Protadii (c. 620?) vel paulo post ejus obitum feliciter conscriptum fuit licet postea aliquot additamenta acceperit.<sup>4)</sup>

Quoad librum de ortu et vita Patrum, non est anonymus, ut duo martyrologia praecedentia sed auctor ejus habetur S. Isidorus Hispalensis Episcopus praecipuum Ecclesiae lumen in his difficillimis temporibus. In hac tractatione breviter et nimium jejune recenset pius et doctus scriptor gesta Sanctorum, de quibus fit mentio in utriusque Veteris ac Novi Testamenti paginis.<sup>5)</sup>

Liber vero de Vitis Patrum Emeritensium auctorem habet, ut putatur, Paulum Emeritensem nuncupatum et scribi debuit circa annos 620—660.<sup>6)</sup> Vitae Sanctorum quibus constat elegantia nitent sermonis, et magni sunt momenti pro elucidanda horum annorum intricata Hispanica historia.

His dictis nunc tempus est inchoandi recensionem geographicam, quam paulo ante promisi.

1) Hist. litter. de la France t. 3, p. 526.

2) Ibid. p. 616.

3) Rossi: Bolet. de Archeologia anni 1867, nr. 5 et 6.

4) Patr. lat. t. 80, p. 411 et seq.

5) Ibid. t. 83, p. 1275—1296.

6) Post plures editiones vitiosas, novissima luce recenter donatus est juxta fidem meliorum codicum (Acta SS. t. 1 nov. p. 317 et seq.) curis et opera doctissimi Patris Caroli de Smedt, S. J.

§. 1. Hispania.

Circa initium seculi septimi Sisebutus rex claruit duplici pietatis et litterarum fama (613—621) scriptoque mandavit ex iis quae *fideli fama* ejus cognitioni innotuerunt,<sup>1)</sup> vitam et Passionem S. Desiderii Episcopi Viennensis in Gallia crudeliter trucidati (22. maii 608) in odium castitatis et justitiae jussu Brunecildis reginae Francorum.

Paulo post Braulio, qui jam Caesaraugustanam ascenderat cathedram, et ipse postea sanctus effectus est, curam omnem impendit ad describendam pie et fideliter ex relatu testium oculatorum vitam admirandam S. Aemiliani de Cuculla (12. nov. 580?)<sup>2)</sup> quam populus Hispanus diu magna veneratione tanquam suum post Jacobum patronum persecutus est. Paucis post annis eundem Aemilianum etiam metricè celebravit idem Braulio.<sup>3)</sup>

Idem auctor ad refovendam in fidelium cordibus memoriam primorum apostolorum gentis hispanicae librum (hodie deperditum) de adventu in hispanium Apostolorum Jacobi, Petri et Pauli conscripserat.<sup>4)</sup>

Item recensuit et in meliorem formam adduxit Acta Sanctorum Martyrum nuncupatorum *Abulensium* Vincentii, Sabinae et Christetae (27. oct. 300?) item tormentorum seriem quae sub Diocletiano invictè sustinuerunt innumerabiles cives Caesaraugustani scripto mandavit ex auctoritate antiquarum traditionum.<sup>5)</sup>

Circa finem septimi seculi (670?) alter Hispanus ad Sanctorum laudem augendam curam suam et labores similiter impendit: loquor de S. Valerio, Abbate S. Petri de Montibus in Asturiis qui „quantum *fideli* narratione (discipulorum) cognovit, pauca de principio ac fine vitae S. Fructuosi Braecarensis Episcopi († 16. apr. 660) perstrinxit.“<sup>6)</sup>

Eidem scriptori debetur quidquid scitur de B. Virgine Etheria, et de piis viris Bonello et Maximo qui iisdem temporibus vixerunt.<sup>7)</sup>

Anonymus Lusitanus circa finem hujus seculi vel saltem sequentis initium litteris pie et eleganter mandavit Passionem S. Irenes V. et M. (20. oct. 653?) pro castitate servanda crudeliter morti traditae.

1) Vita S. Desiderii nr. 1. — Patr. lat. t. 80, p. 378.

2) Acta SS. O. S. Bened. t. 1, p. 198 cum seq.

3) Patol. lat. t. 80, p. 713.

4) Ibid. p. 644.

5) Patr. lat. t. 80, p. 715.

6) Prolog. in vitam istius sancti. (Patrol. lat. t. 87, p. 400?)

7) Patr. lat. t. 87, p. 421 et seq.

## §. 2. Anglia et Hibernia.

Anglorum et Saxonum gentes, quae ad Christi fidem ineunte septimo seculo conversae, multos statim eodem currente genuerunt caelo sanctos, paucos tamen tunc temporis hagiographos computaverunt, aut saltem istorum scripta exciderunt injuria temporum. Unde nullum hic proprium nomen in medium adducere possum praeter nomen Helarii qui scripsisse circa annos 650—690? Passionem et miracula S. Winefridae V. et M. (26. jun. 590?) putatur.<sup>1)</sup>

Idem dicendum videtur de Hibernia et Scotia quae, licet in hoc aevo sicut antea, sanctorum inexhausta fuerint seminaria, pauca tamen posteris transmiserunt documenta de vita et gestis eorundem Sanctorum; quatuor tantum sunt hagiographi qui ex hac duplici regione tunc prodierunt vel saltem, quorum scripta ad nos usque pervenerunt.

### 1. Cummineus Albus.

Primus in ordine temporum (v. 630) Scotus erat, vocaturque Cummineus Albus. Aliquid tetigit de vita ac miraculis S. Columbae (9. jun. 590) Hiensis Abbatis, et Scotorum septentrionalium Apostoli ejus, ut putatur, discipulus fuerat.

### 2. Adamnanus.

Quartus ejusdem S. Columbae in sede Hiensi abbatali successor (660) Adamnanus et ipse Scotus res gestas istius sancti cum maxima diligentia inquisivit tum ex his, quae jam scripto mandata fuerant, tum ex majorum, fideliumque virorum congrua relatione, tresque libros eximios conscripsit: in quibus nihil dubium vel incertum adesse putatur.<sup>2)</sup>

### 3. Cumminus Connerensis in Hibernia.

Iste metricè composuit libellum de singularibus laudibus et praerogativis SS. Hiberniae ejus titulum solummodo novi. De isto auctore agent tanquam sancto Bollandiani die 12. decembris.<sup>3)</sup>

4. Alius scriptor Hibernus, sed ille anonymus, litteris exaravit vitam S. Pulcherii seu Mochaemoci (13. mart. 620). Ejus est simplex et elegans dictio licet aliquot grammaticalibus sphalmatibus, lugende defoedetur. Eidem anonymo attribuuntur sed cum dubio vitae S. Itae (15. jan. 560?) et S. Maidoci Fernensis Episcopi (31. jan. 590?)

Nunc ad Gallias accedo, sub quo titulo comprehenditur simul et Belgium, quia tunc temporis hae duae eisdem principibus subdebantur regiones.

<sup>1)</sup> Rees: *Life of the Cambro-British Saints* p. 193—209.

<sup>2)</sup> *Prol. in Vita S. Columbae* nr. 2.

<sup>3)</sup> *Acta SS.* t. 2 jun. p. 241.

§. 3. Gallia et Belgium.

Nulla regio septimo cursum suum agente seculo, Galliam in sanctitate adaequavit, nulla tot sanctos computavit, nulla etiam tot hagiographos genuit. Quocirca, ne aliqua hic confusio, me invito subrepat, diversas Galliarum provincias unam post aliam perlustrabo, ad hagiographos unius cujusque recensendos, a septentrionali vero parte incipiam.

I. Gallia septentrionalis cum Belgio.

Primo loco sese offerunt Jonas et Baudemundus uterque monachi Elnonenses.

1. B. Jonas hagiographorum hujus seculi facile princeps, e Pedemontio oriundus erat, et primo monachum se subduxit in monasterio Bobbiensi sub magisterio S. Columbani. Postea transiens in Galliam multos annos duxit sub disciplina S. Amandi Elnonensis monasterii fundatoris, deinde ipse Abbatiali dignitate auctus est, et obiit (670) cum magna fama sanctitatis. De eo dicebant certatim coaevi: „Vir magnus est Jonas, eloquentia plenus et dictandi peritus polito et limato sermone.“<sup>1)</sup>

Porro omnia ejus scripta sine exceptione pertinent ad genus hagiographicum. En eorum brevis enumeratio:

1. Vita S. Columbani, Abbatis Bobbiensis († 21. nov. 615).
2. „ S. Attali, primi successoris ejusdem († 10. mart. 627).
3. „ S. Bertulphi, secundi item († 19. aug. 640).
4. „ S. Eustasii, Abbatis Luxoviensis († 19. mart. 625).
5. „ S. Farae, filiae spiritualis S. Columbani († 7. dec. 655).<sup>2)</sup>

In his variis tractationibus agitur, ut patet, de personis et rebus, quae optime noverat scriptor, sive per seipsum sive per narrationes testium oculatorum: sed tamen prae caeteris omnimoda commendatione digna est vita S. Columbani, in qua singillatim referuntur praecipua itinera, praecipuaque gesta tam celeberrimi viri apostolici.<sup>3)</sup>

Creditur etiam Jonas recensuisse vitam S. Joannis Reomensis de qua egi in sexto seculo, eamque ad meliorem stylum reduxisse.

2. Baudemundus, ab initio fuit monachus Elnonensis sub disciplina S. Amandi, post ejus mortem (6. febr. 679) Blandiniensis monasterii ipse suscepit regimen. Nihil nobis transmisit iste hagiographus praeter librum Vitae dicti S. Amandi, in quo libro sat multa conguessit de ejusdem sancti miraculis, itineribusque apostolicis et licet aliquando a recta chronologia recedat iste biographus, scriptio ejus laude nihilominus et commendatione digna

<sup>1)</sup> Acta SS. O. S. Bened. t. 2, p. 73 n. 8.

<sup>2)</sup> Ibid p. 420.

<sup>3)</sup> Ibid. p. 3—24.

est, utpote filiali calamo et eloquentia cordis exarata. Aliunde ex ea tamquam ex fonte puro et abundanti mutuata sunt omnia fere alia scripta sat numerosa, quae postea gestis gloriosi S. Amandi Trajectensis recensendis consecrata fuerunt.

3. Anonymus Gandavensis. Circa idem tempus floruit anonymus Gandavensis, cui debetur Vita primigenia S. Bavonis, Gandavi patroni (1. oct. 654). Coaevus erat iste auctor, ac nihil asserit nisi innixus testimoniis omni fide dignis, et si „omnia quae de Sancti confessoris gestis compererat voluisset prosequi, dies, antequam sermo, cessavisset.“<sup>1)</sup>

4. Anonymus Nivigellensis. Eadem auctoritatem meretur Monachus Nivigellensis, qui, postquam adfuerit S. Gertrudi Virgini in trigesimo tertio aetatis suae anno diem supremum obienti (17. mart. 656) ejusdem gesta et virtutes pie litteris exaravit „juxta quod viderat ipse vel per idoneos testes audierat.“<sup>2)</sup>

5. Bonifacius. Utrum simile judicium ferri possit de Vita S. Livini Belgarum Apostoli († 12. nov. 657)<sup>3)</sup> cujus auctor, Bonifacius nomine, diversus est a Bonifacio Germanorum Apostoli inter eruditos controvertitur: sed sententiae affirmativae adhaerere mihi fere tutum videtur. Nam quamvis iste auctor parum correcte scribat, quamvis plus aequo eum delectent phrases intricatae seu periodorum longitudo, nihil tamen asserit „nisi testimonio trium sancti discipulorum innixus.“<sup>4)</sup>

Aliunde plura refert de primis regibus Scotiae, quae prodesse possunt pro elucidanda antiqua hujus regionis historia.

6. Anonymus Melbodiensis. Fide etiam ac auctoritate dignus videtur anonymus Melbodiensis, cui debetur Vita admirabilis S. Aldegundis Virginis et Abbatissae (30. jan. 684). Nam scribens paucis annis post mortem Sanctae: „quae vidit ipse, vel a germana ipsius Virginis et ab aliis idoneis testibus audivit fideliter retulit.“<sup>5)</sup>

7. Anonymus Cameracensis. Ultimo hic loco ponam alium anonymum, cui debetur Vita pie et fideliter scripta S. Gaugerici Episcopi Cameracensis (11. aug. 619). Utrum tamen septimo vel octavo tantum seculo pertineat iste anonymus, in certum videtur.

## II. Campania Gallica.

Huic provinciae adscribendi sunt plures scriptores anonymi, unus vero tantum qui proprio nomine vocetur, a quo tamen incipiam.

1) Prolegus in vitam S. Bavonis

2) Prolog. in Vitam ejusdem Virginis.

3) Acta SS. O. S. B. Benedicti t. 2, p. 431 et seq.

4) Prologus in Vitam ejusdem.

5) Vita S. Aldegundis, nr. 18, 25, 29 etc.

1. *Warnacharius*. *Warnacharius* sacerdos erat *Lingonensis* (615) operamque dedit, rogante *S. Ceraunio Parisiensi Episcopo* ut describerentur *Acta tergeminarum martyrum Lingonensium Speusippi, Meleusippi et Eleusippi* (17. jan. 166?) item *Passio S. Desiderii Lingonensis Episcopi* (23. maii 250?). Quoad prima, utrum ex scripto primigenio, seu tantum orali ex traditione Majorum ea extraxerit quae narrat actor, ignoratur. *Passio vero S. Desiderii* jam antea litteris exarata fuerat, sed ab auctore rustico et imperito, unde eam recensuit *Warnacharius* „pauca tamen de virtutibus Martyris referens, ne fastidium generet auditori prolixitas sermonis.“<sup>1)</sup>

2. *Anonymus Remensis*. Suppar et fide dignus iudicatur *anonymus*, cui debetur *Vita S. Theodulfi, Abbatis S. Theodoric Remensis* (1. maji 590) quam pie et sat correcte, licet paulo diffusè et modo oratorio, descripsit quidam *anonymus*.

3. *Anonymus Trecensis*. Idem dicendum videtur de *anonymo Trecensi* cui debetur *prima vita S. Fidoli* (16. mai 560?) Huic scriptioni praetulerunt socii *Bollandiani* sermonem de laudibus ejusdem *Sancti* in ejus festo natali prolatum, sed immerito ut puto: nam licet auctor *Vitae* duabus vicibus metrum cum prosa, conjungat, qui character perrarus est in septimo seculo, antiquior tamen videtur auctore sermonis praefati.

4. *Anonymus Senonensis*. Cuidam *anonymo Senonensi* debetur *Vita S. Lupi, Episcopi Senonensis* (1. sept. 620) quae quamvis perbrevis sit et aliquot barbarismis foedata, pie tamen et simpliciter scripta est. Insuper cum auctor referat sancti gesta tanquam sibi optime nota, nihil fere de miraculis post mortem narrans, coaevus fuisse vel saltem suppar jure merito iudicatur.

5. *Anonymus Catalaunensis*. Paulo post annum 673 vivebat quidam *anonymus Catalaunensis*, cui debetur *secunda Vita S. Memmii primi ejusdem civitatis Episcopi* (5. aug. 140?) Hujus scriptionis pro majori parte ineditae tempus dignoscitur ex eo quod auctor ipse adfuerat rei in anno 673 gestae.<sup>2)</sup>

### III. Lotharingia.

1. *Anonymus Medianensis*. Prae caeteris hujus provinciae hagiographis, eximia laude dignus videtur *Monachus quidam Medianensis monasterii*, qui litteris pie ac fideliter exaravit *Vitas trium primorum Abbatum Habendensis Monasterii, seu fundatorum vitae monasticae in Vosago monte nempe 1. Amati, Medianensis asceterii primi Abbatis* (13. sept. 624). — 2. *Romarici*

<sup>1)</sup> Prolog. in *Vitam S. Desiderii Lingoniensis*.

<sup>2)</sup> Mabillon: *Analecta*, edit. 1678 t. 2, p. 90—94.

ejus successoris (8. dec. 653).<sup>1)</sup> — 3. Adelphii tertii Abbatis ejusdem monasterii Habendensis (11. sept. 670.)

Iste scriptor familiariter vixerat cum Romarico et Adelphio, et insuper multa collegerat ex relatu testium oculatorum seu auritorum.<sup>2)</sup> Caeterum ejus sinceritas seu bona fides in dubium revocari non potest sicut ei denegari nequeunt styli claritas et elegantia sermonis.

Circa idem tempus alius anonymus item Medianensis descripsit vitam S. Deodati (19. junii 679) ex Nivernensi episcopo facti humilis Medianensis monachi; sed haec scriptio non ad nos pervenit nisi pluribus interpolationibus spurcata.

2. Duo anonymi Metenses. Post duos Medianenses anonymos sese offerunt duo anonymi Metenses, uterque coevus et omni fide dignus, quorum unus vitam sat compe descriptam S. Glossindis Virg. (25. jul. 608), alter vero non minus eleganter litteris exaravit praecipua gestae S. Arnulfi Metensis episcopi ac deinde monachi seu anachoretae (18. jul. 640). Pie et more antiquo incipit haec ultima scriptio his verbis: „In omnipotentis Dei nomine et Christi Jesu Domini nostri Filii ejus Vitam vel Acta sanctissimi Arnulfi Antistitis, auxiliante Spiritu sancto, qui in eo requievit, stylo elicere aggrediar.“<sup>3)</sup>

Insuper ex eis quae Sanctus gessit, nonnulla a familiaribus Praesulis narrantibus, pleraque per semetipsum cognovisse, aperte asserit iste anonymus, qui aliunde hanc scriptionem jussu Clodulfi Episcopi Metensis et filii Sancti Arnulfi suscepisse fertur.<sup>4)</sup>

#### IV. Burgundia.

S. Leodegarius, Episcopus Augustodunensis (2. oct. 678), ejus triumphalis passio et praeclara miracula tantam ei statim post mortem venerationem conciliarunt, praecipua fuit claritas Burgundiae in septimo seculo, multosque computare meruit in decursu aevorum biographos et encomiatores, sed primo a duobus coaevis, ut decebat, gesta ejus et miracula litteris exarata sunt, scilicet ab anonymo Augustodunensi et ab Ursino, Abbate Locogiacensi.

Primus, qui erat monachus S. Symphoriani Augustodunensis, simpliciter et aliquoties minus correcte narrat, sed omni fide et auctoritate pollere videtur utpote qui gesta episcopatus describens seu luctam referens strenue susceptam contra impiam et tyrannicam Ebroini dominationem invictamque martyris in tormentis patientiam nihil narrat nisi testis oculatus aut saltem auricularis.<sup>5)</sup> Quocirca

1) Acta SS. O. S. Bened. t. 2, p. 398 et seq.

2) Vita S. Amati nr. 5.

3) Prolog. in Vitam S. Arnulfi Metensis episcopi.

4) Ibid. nr. 31.

5) Prologus in Vitam S. Leodegarii et passim.

si rerum narrationi jungere vult iste anonymus relationem translationis sacri corporis e loco passionis in Artesia ad Abbatiam S. Maxentii apud Pictavos, cura tunc istam narrandi relinquitur Audulfo, Abbati S. Maxentii, qui dictae translationi praerat eamque testis oculatus litteris primus exaraverat.<sup>1)</sup>

Ursinus vero, decem annis vel circiter post praecedentem biographum scribebat, ac proinde item coaevus adhuc erat et auctoritate dignus. Insuper idoneos testes interrogaverat multaque ex prima vita desumpsit<sup>2)</sup>

#### V. Provinciae Bituricensium, Cadurcensium, Lugdunensium et Arvernorum.

Apud Bituriges sese offerunt tres anonymi qui vero similiter erant coevi, scilicet

1. biographus S. Austregisili Bituricensis episcopi († 20. maii 624), familiaris forsan sancti fuerat vel saltem suppar, ut ipse asserere videtur.<sup>3)</sup>

2. Idem dici debet propter eandem causam de alio anonymo cui debetur relatio percelebris visionis S. Baronti Longoretensis monachi (25. mart. 630?) de gaudiis paradisi et tormentis inferorum.

3. Tertius anonymus Bituricensis, descripsit sub forma sermonis in festo S. Sulpicii Biturigarum Episcopi (17. janv. 644) Vitam et miracula dicti praesulis. Utrum fuerit sancti discipulus vel familiaris? dubitatur sed certe, ut patet ex contextu coaevus erat.<sup>4)</sup>

S. Desiderius Caturcensis episcopus (15. nov. 654) Sulpicium adaequavit non solum sanctitatis et miraculorum fama, sed etiam felici sorte inveniendi biographum coevum qui, ingenio et eruditione praeestans, calamo quasi filiali, res gestas Sancti Pontificis narraturus, eas partim desumpsit e melioribus fontibus scilicet ex ipsius Sancti epistolis, quarum plures in contextu narrationis suae integre reperientur insertae.<sup>5)</sup>

Apud Lugdunenses vero quatuor inveniuntur anonymi, scilicet, primo ille, qui paulo post obitum s. Treverii, presbyteri et anachoretae (14. jan. 540) ejusdem gesta nimis jejune sed fideliter scripto mandavit. Alii anonymo, qui Viennensis forsan patria erat, debetur Vita primigenia ut creditur, S. Desiderii Episcopi Viennensis et martyris (22. maii 608).<sup>6)</sup> Certe coaevus erat et ejusdem

<sup>1)</sup> Ibid. nr. 17.

<sup>2)</sup> Secunda Vita S. Leodegarii prologus nr. 18 etc.

<sup>3)</sup> Vita S. Austregisili nr. 11, 13 etc.

<sup>4)</sup> Vita SS. Sulpicii nr. 4, 11, 16, 17, 23 etc. — Alius anonymus aliam ejusdem sancti vitam ex ea, quia illi parum polita videbatur, descripsit currente octavo vel nono seculo. Analecta Bolland. t. 6. — Catalog. Bruxell. p. 76—80.

<sup>5)</sup> Patol. lat. t. 87, p. 217—244.

<sup>6)</sup> Edita est pro prima vice haec lucubratis a Bollandistis Analecta Bolland. t. 9, p. 250 et seq.

regionis ac Sanctus sed tamen testis simpliciter auricularis non oculatus,<sup>1)</sup> unde dubitari potest utrum praecesserat scribendo Sisebutum necne. Aliunde Passionem et Miracula sancti fere unice refert, stylus vero obscurus est et elegantia caret.

Tertio anonymo Lugdunensi, qui indubie coaevus erat, debetur vita simpliciter scripta, sed nimis justo brevis S. Baldomeri († 27. febr. 654) anachoretae et deinde subdiaconi Lugdunensis.

Utrum similiter coaevus fuerit vel tantum suppar quartus anonymus Lugdunensis, qui mortem pro justitia a S. Annemundo Lugdunensi episcopo († 28. sept. 660) generose perpessam litteris exaravit? controvertitur inter eruditos, sed indubie saltem quidquid huic scriptori notum factum fuerat, id pie et fideliter memoriae posterorum tradere nisus est.

#### Duo anonymi Arverni.

Apud Arvernos, quindecim annis post Annemundum, Praelectus Episcopus Claromontanus mortem cum aliquot discipulis similiter pro justitia subire non dubitavit (26. jan. 674) cujus vita et passio multis post annis a duobus anonymis uno post alium supparibus pie et fideliter conscriptae sunt.

#### Anonymus Mimatensis.

Septimo item seculo pertinere videtur quidam anonymus Mimatensis, qui brevissime sed pie et correcte praecipua S. Hilarii Episcopi Mimatensis († 25. oct. 540) gesta scripto commendavit.

#### VI. Provincia et Gallia Meridionalis.

In Gallia Meridionali tres tantum hagiographi pariter anonymi sese mihi offerunt, scilicet 1. Anonymus Vapincensis qui ista fideliter et pie litteris exaraverat S. Aregii Episcopi Vapincensis (1. maii 620) Vitam sed mutila tantum ad nos scriptis pervenit.

2. Anonymus Arelatensis, cui debetur comperta relatio gestorum S. Virgilii Arelatensis Episcopi (5. mart 610) seu potius miraculorum ab eo post mortem patratorum.<sup>2)</sup> Auctor non coaevus erat, siquidem solummodo post longa spatia temporis scribebat<sup>3)</sup> sed tamen saltem ante Sarracenorum irruptiones vivebat ut patet ex contextu, unde suppar et septimi seculi scriptor credi potest.

Alius anonymus, forsan Valentinensis sed aetatis sat in certae aliquid de gestis et miraculis S. Gallae Virg. (1. fev. 580?) litteris commendavit, de qua sancta nihil aliud nobis notum est: unde talis scriptio aliquali commendatione digna videtur.

<sup>1)</sup> Vita S. Desiderii, nr. 4, 17.

<sup>2)</sup> Vita S. Virgilii nr. 1 et 7.

<sup>3)</sup> Ibid. nr. 7.